


mabimus. Quibus absolutis, habebimus stylobatam cum adiectionibus per medium, eodem ordine quo epistylia conformantur, & hoc ad auctoris mentem, nempe, Vti habeat per medium adiectionem per scamillos impares. Etenim stylobata habebit per medium adiectiones per scamillos seu gradillos impares. Qui quidem stylobata si operi adhibeatur, alueolatus oculo videbitur, speciem scilicet vasi præ se ferens ventre turgidulo, & collo pedesq; leniter ad gracilitatem contracto. Porro scamilli stylobatis ipsis convenient, eo quod deriuationes ab epistyliis habeant, & epistylia ab ipsis. Corona demum stylobatæ addendæ altitudo quartam scapi columna partem æquabit, quæ tota in partes septem secabitur, quarum una cum dimidia echino tribuetur, qui ad quadrantem circuli conformabitur, tres reliquæ



coronæ ipsi dabuntur cum cymatio; quæ quidem à stylobata tantum extabit, quantum ipsemet plinthus. Cymatium porro coronæ sexta parte altum erit: gula autem, quæ & lysis dicitur, una cum labio duas partes cum dimidia accipiet, & tantundem prominebit. Cæterum stylobatam hac eadem ratione conformatum in Exquilis vidimus propè Diuæ Mariæ Maioris templum, in hortis Dominici Blanchini Patricij Romani, qui licet iniuria temporis male haberet, ornamentorum nihilominus quæ prædiximus vestigia retinebat: Quæ omnia inferius ad ipsiusmet auctoris nostri mentem lineauimus.

Post hæc ita pergit.

Multis